




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.391


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.391





1
7
391
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE
50.000 - 10-939

LAUDATIO FUNEBRIS

SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
DOMINI

AUGUSTI FRIDERICI

DUCIS BRUNSUICENSIS
ET LUNEBURGENSIS &c.&c.

DICTA
IN
UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

ab

VLRICO OBRECHTO
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ
PROFESSORE h. t. RECTORE.

die III. Januarij CIↃIↃCLXXVII.

ARGENTORATI,
Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schütz.



SERENISSIMI PRINCIPES:
ILLVSTRISSIMI COMITES:
EMINENTISSIMI REIPVBLICÆ ARGENTORATENSIS DELEGATI:
PATRIÆ ET ACADEMIÆ PATRES:
PER ILLVSTRIS AC GENEROSIISSIME BARO:
ILLVSTRES SERENISSIMORVM PRINCIPVM ATQVE INCLYTÆ REIP. HVIVS CONSILIARII:
AMPLISSIMI PROFESSORES:
EXCELLENTISSIMI JVRECONSVLTI ET MEDICI:
REVERENDI ECCLESIASTÆ:
CLARISSIMI CVRIARVM MODERATORES:
NOBILISSIMI, ERVDITISSIMI, FLORENTISSIMI AVDITORES.



SI, quanta Vniversitati Argentoratensi, suscipiendo, ad quod tam inusitata celebritate confluxistis, muneri necessitas incubuit;

buit; tanta eidem implendo facultas ſuppe-
tiiſſet: minimum foret, quod in hac parenta-
li cerimonia vel oculi Veſtri funeſto ſpectacu-
lo intuentur, vel aures lugubri ſilentio expe-
ctant. Principem genere, animis, virtute ſum-
mis Heroibus æmulum, inter arma primum
ætatis ac generoſi ſanguinis florem Patriæ im-
molaviſſe, non imbelles ex hac cathedra ge-
mitus; non è parietibus iſtis & ſubſelliis, fera-
lis color: ſed triumphales in excelſo Mauſo-
leo tituli, & laureata faſtigia loquerentur. Nec
utique de muſis Argentoratenſibus magnifi-
ce minus meritus es, ſplendor ac decus Princi-
pum AVGVSTE FRIDERICE! quas cum an-
te quatuor circiter annos cœleſtis indolis Tuæ
comitate, ac interiore convictu obſtringeres;
nonne pariter in familiare quoddam conſor-
tium, laudumque Tuarum participationem
à Te ſunt adſumtæ: qua Tu Germanici nomi-
nis decus præclaris facinoribus, illæ merita Tua,
quibuscunque ſtudiorum honoribus extolle-
re, ſolenni veluti pignore invicem ſpopondi-
ſtis? Atque Tu quidem egregie heu! nimis,
quas ſuſceperas, partes impleviſti; humanæ
faſti-

fastigium gloriæ, non per gradus & intervalla; sed inaudito Heroici impetus compendio emensus. Nobis vero, quibus cum hac divina velocitate genii Tui, nec laudibus in præsens paria facere concessum est; nec deinceps votis contendere integrum erit; quid aliud ad peragenda nostræ pietatis munia, quàm cum perenni Tui desiderio, acerbissimum orbitatis nostræ sensum, & ex virtutum Tuarum memoria, luctuosissimam jacturæ quam fecimus, æstimationem reliquisti? Sed enim Deus modo avertat omen, atque ex gravissimi casus commemoratione, qua ineuntis anni, & injunctæ mihi nuperrime Professionis auspicium funestatur, faustas duntaxat voces, & gloriosa præconia, Reipublicæ huic & Academiæ, Vobisque imprimis, Auditores, in augurium dispenset! Cœterum funebres Cœlitis nostri honores, quid ego vel obscurari metuam hac secessus Academici vmbrâ? quę tot Augustorum vultuum radiis illustratur: vel quid optem statuarum trophæorumq; ambitione augeri? quibus in tam Excelsarum mentium penetralibus al-

taria, imo templa eriguntur, longe perennioribus imaginibus præfulgentia, quàm quæ marmore aut ære finguntur. Cum præsertim ipsum sermonis hujus argumentum ita comparatum sit; vt de illius nec sublimitate, meditationis nostræ humilitas; nec dignitate sterilitas dictionis delibare quicquam possit. Sive enim Principis, cui hanc venerationem decrevit publica Senatus Academici pietas, promulganda est notitia; eam tam exquisitis coloribus Ipse, cum viveret, in humani generis conscientia expressit, ut quantumvis rudis delineatio, exactissimæ instar picturæ polliceatur: sive merita & virtutes celebrandæ; nec illorum, apud gnaros difficilis demonstratio: nec harum, apud consentientes deprædicatio ardua est futura. Nam adulationis frustra inter eos deprecer suspicionem, qui elogiorum me citius parcum, quam nimium sunt pronuntiaturi. Quin & luctus denique vltro hac totâ concione tam potentibus irritamentis dominatur, vt quæsitos ab arte stimulos ipsa sui magnitudine varietateque superet pariter ac excludat.

cludat. An enim adactum latisſime vulnus quiſquam dubitet, quod pari vbique dolore, tam diſpares habet cauſas dolendi? Reſpublica hæc, benivolentisſimæ DOMUS calamitate, perinde ac propriis damnis mœſta: Academia, vti familiaritate conjunctionis cum Vivente; ſic erga Mortuum, affectuum teneritudine conjunctisſimis Ejus Necesſitudinibus æmula: Auditorium tot cognatorum Principum gemitibus, atque Ejus inprimis, qui gemitur, indictâ in perpetuum abſentiâ funeſtum: cedunt tamen triſtisſimæ cathedræ hujus vicisſitudini: cujus lugubrem ſpeciem immenſum vtique intendit, quod jam ex eo loco NEPOS extrema pietatis mœſtisſimæ officia recipit, ex quo AVUS quondam rarisſimæ eruditionis ac ſapientiæ monumenta publicavit. Quòd ſi me quoque liceat tantis nominibus miſcere; quàm vero illætabilis Tibi, Princeps Inclyte! quàm deploranda merces rependitur ab his ſtudiis meis! quibus Tu præcipuam aliquando claritudinem tribuiſti, quando ea dignatus es adoleſcentiæ Tuæ rudimentis adhibere. Quanquam ego

qui-

quidem reverentius fecero, ſi conſanguineis gemitibus privata ſuſpiria involvam, illorumque grandi conſortio attollam quæ vi propria nunquam eò ſunt aſſurrectura, vt Beatis deſideratisſimi Herois Manibus digno munere parentent. cujus etiam de cætero apparatu plæraque, præter aëris tempeſtatiſque hujus inclementiam, veneratio tam Illuſtris conſeſſus jubet amputare. quæ commendatam aliâs levioribus quoque cauſis brevitatem, hîc tanto efficacius imperat; quia de Principe loquendum eſt, tot ſingularibus, tot proprijs dotibus abundante, vt inter laudes Ejus, nec quod Illi cum alijs commune eſt, commemorari prolixius, nec quod alienum, attingi vllatenus posſit. Quo minùs præconium hîc à me ſuum expectabit, quæ natalibus Herois noſtri gloriatur, tellus. & eſt jam laudatores alios nacta vetuſtisſima illa Cheruſcorum ſedes. cujus etiam poſt Arminium, ad noſtram vſque memoriam ſolenne & fatale quodammodo decus habitum eſt, vt non vſpiam terrarum, acriores Germanicæ libertatis aſſertores vindiceſque naſcerentur.

Iſtam

Iſtam ſane potiſſimum gloriam, poſtquàm ex immenſo laudum cumulo Princeps noſter ſibi vindicaſſet, longe tamen ampliorem Patriæ moriendo reddidit, quàm ab illa naſcendo acceperat. Qui & in Majorum proſapiâ cum ad eminentiſſimas quaſque imagines vitam non exigeret modo, ſed componeret prorſus & adornaret; nullam putandus eſt illuſtriorem reperiſſe, quam cujus exemplar ipſe, mortis genere, perpetuæ poſterorum admirationi in æterna DOMO conſecravit. Atq; illa quidem tametſi antiquitatem ſuam non annis, non luſtris, non ſeculis, ſed ætatibus computet; nec ſplendorem anguſtius quam Imperatorum Regumque ſceptris metiatur: Noſtro tamen ad Welphones adſcendendum vtique non fuit, vt abſoluta Heroicarum virtutum exempla reperiret. quibus illum cumulatiſſime Sereniſſimus Pater ANTONIUS ULRICUS, vel ſi ad Avum vſque proferre gradum licet, illa Principum ac ſapientiæ norma AUGUSTUS Luneburgicus inſtruxit; documentorum non minus grandium per Matrem ELISABETHAM JULIANAM,

avumque Maternum FRIDERICUM è Celſiſſima Holſatiæ Ducum ſerie, compotem. Quorum Ipſe merita ſibi propria imitando fecit. in familiaris inſuper & quotidianæ diſciplinæ ſpecimen trahens, quicquid regendis Europæ vniverſæ fatis, vſpiam videbat virtute aut gloria exſplendeſcere. ne alterutrius experimentis minus amplum, quam cognatione aut affinitate ſpatium amplecteretur: quæ æqualibus cum Orbe Chriſtiano finibus patet. Quod enim omnino diadema mihi, quam purpuram nominaveris, vt non propinguo nexu Brunſvicenſi ac Luneburgenſi domui, & per Holſaticum ſanguinem AUGUSTO noſtro geminatis vinculis copuletur? Jamque adeo videtis, Celſiſſima conſeſſus hujus Sidera! in Vos omnium ora converti; ac è Veſtrorum vultuum habitu veritatem exigi meorum verborum. quàm verò in oculis veſtris aperto veſtigio prodit ſe conjunctiſſimi Principis jactura! qui Tecum quidem Sereniſſime Comes Palatine Veldentie LEOPOLDE LUDOVICE, Tritavum; Tecum vero Sereniſſime CHRISTIANE Birckenfel-

ckenfeldicę Abavum communem numeravit: Vnde rivis multiplicatis in Te Serenissime Princeps AUGUSTE LEOPOLDE: Sed & in Vos Illustrissimi Hanoviæ Comites PHILIPPE REINHARDE & JOHANNES REINHARDE necessitudo diffunditur. Et quid miremur si Germaniæ pars Augustior, atque inprimis Augustissimus Imperator LEOPOLDUS tanquam domestico vulnere ingemiscat? quod consanguineo cruore BURBONIAM quoque Domum respersit, è qua fatale telum evolavit. Et absit equidem, vt funestissimam exempli hujus Philosophiam ad scrutanda curiosius, quàm par est, Divinæ Providentiæ decreta transferamus: nescio tamen an aliud illa quicquam agere censeri posit, quando tam potentibus naturæ vinculis connectit illustres familias, per quas cæteris mortalibus bonitatis suæ munera dispensare constituit; quàm vt Christianas gentes ipso sanguinis conjuncti testimonio convincat, plus quam civilia esse, quæ inter sese bella gerunt. quorum quippe nec odia sine cognatis cædibus possunt exerceri;

& licen-

& licentia vix alio quam grandium animarum damno refrænatur. vt Illas vel hinc intelligas quieti nationum populorumque, quibus aut exprobraturæ ſunt fata ſua, aut imputaturæ, non ad piaculum tantum humana virtute devoveri, cum amittuntur; ſed ad miraculum Divina proviſione, cum naſcuntur, deſtinari. Quarum porro genituram non errantium diſcurſus aſtrorum; ſed Heroicarum dotium conſtans concurſus promulgat. Et Noſtrum ſane Principem, quanquam

d. xxiv. Aug. 1657. læto natum æthere, primâ ſtatim ætate cœleſtes in Infante gratiæ, & ſidereus in Puero vigor demonſtrabat; de faſtigio tamen, ad quod vix initæ Juventæ primordio non tam adſcendit, quam velociſſimæ flammæ modo emicuit, in anteceſſum jubebant vaticinari ſidera, ad auſpicatiſſimum futuræ magnitudinis adſpectum, non in Mathematicorum cœlo, ſed in Aula Parentum diſpoſita. quæ vt aulicæ comitatis ac elegantiæ; ita pietatis, ſanctitatis, virtutis ſchola quædam & aularum magiſtra publico dudum & familiari elogio celebratur. In hac, cuſtodiendæ for-

man-

mandæque Filii indoli obvia vbique providentiſſimorum Parentum auctoritas, electiſſimorum Comitum Doctorumque cura, graviſſimi moris exemplum, perexiguo temporis ſpatio, illud genii Principalis inſtar perfecerunt: cujus nova deinceps incrementa, incomparabile huic Univerſitati decus affulſerunt. An. 1672. tanta exempli non præſtantia modo, ſed raritate, vt quod illi comparari vndequaque poſſit, nemo fortaſſe noſtrûm aliud memoriâ ſuâ complectatur. Verſabatur in aperto bonarum artium mercatu: ſed vt majora exquiſitiſſimæ diſciplinæ ſpecimina proponeret, quam ambiret. Indulgebat ſe promiſcuis docentium diſcentiumque cœtibus: ſed vt ſapientiam, quam voce alii & verbis profitebantur, Ipſe efficacius præſente vbique, vbique ſpirante vivaciſſimi pectoris alacritate doceret. Neque ſegnius interim domi Generoſiſſimi TANNII ſui monita, & Eruditiſſimi SCHULZII doctrinam, integritate animi atque indolis felicitate præcurrebat: à quibus, cum virtutis vſu ſapientiam, profectibus tàm inuſitatis hauſit, vt ad vtriuſque perfe-

ctionem non ab arte institutus, sed à natura factus videretur. Primarius Illi ardor collocabatur in serio Numinis, atque hinc assiduo Pietatis cultu: quo non imbutus modò, sed roboratus contra seculi consuetudinem animus, admodum mature, ad interiorem illam cœlestis non necessitudinis duntaxat conscientiam, sed commercii familiaritatem assurrexit, qua frequentissimis de Deo, sed frequentioribus tamen cum Deo colloquiis, sera sibi atque solida, vt tum quidem prudentes ratiocinabantur, felicis regiminis præsidia; vt ab amico Numine intellectum est, matura æternæ beatitudinis auspicia, paciscebatur. Proximas Patriæ consecraverat curas. vt propiori se Illius notitiæ insinuaret; quam in perennis consortium famæ, glorioso vitæ ac sanguinis auctoramento erat desponsaturus. Majestatem Cæsaris, Libertatem Ordinum, Dignitatem Imperii, nunquam obscura, etsi obumbrata aliquando nomina, atque vti horum omnium, ita tranquillitatis, securitatis, salutis denique communis fundamentum Legum & moris publici auctoritatem, qui-

bus

bus pro ſua parte præſidiis eſſet propugnaturus; jam tum agitabat animo, quando non ſubtilis quidem, ſed fidi tamen monitoris indicio diſcebat, quantis alterutra periculis domi foriſque conflictarentur. Hunc uti ſapientisſimo delectu propoſitis ſuis & conatibus præfixerat ſcopum; ita nec in vniverſum aliunde diſciplinam ingenio, ſtudiis normam, limites metabatur induſtriæ. neq; enim hæreditariis modo ditionibus, ſed Germaniæ vniverſæ & vivere ſe intelligebat, & volebat diſcere. Huic itaque non minus quam avitis Ducatibus gratulabantur amantes Patriæ Cives, Principem Noſtrum. Ipſe interim non cum conſtantia minore, quam alacritate, regere provincias, tueri ſubditos, conciliare ſocios, profligare hoſtes, vitam virtutibus, rempublicam meritis, annales gloria implere, nondum opere quidem, ſed jam animi capacitate efficaciâque ſcientiæ aggreſſus, perfecti Herois, non ſigna modo & omina, ſed pignus planę & exemplum repræſentabat. Nam & ingenium Mathematicis diſciplinis, & corpus, iis artibus exercuerat, quibus ad exactum

magnæ

magnæ mentis obſequium, habile redderetur, ingentibusque adeo conſiliis ac operibus expedita quandoque facultate reſponderet. nam ad ſpeciem quidem & decus, ne exercitatione aut dictatis Magiſtrorum indigeret, rarâ naturæ indulgentiâ fuerat proviſum. quæ virili gravitate longe ſupra ætatem, nec infra loci fortunæq; faſtigium generosâ majeſtate ſignaverat genij Principalis characterem. quem venerantium cultui non recludebat modo nativa gratioſæ indolis comitas, & amœnisſima vitæ hilaritas; ſed inſinuabat benignitas, commendabat munificentia. Quàm valide autem inter hæc adverſus ævi magnæque fortunæ vitia pariter & vitiorum illecebras excelſum pectus muniverit, attingere injuria virtutum fuerit. quarum ingenua ſimplicique commemoratione, quàm figuræ nihil aut aſſentationi indulgeam; non alios mihi teſtes exopto, quam quos antea judices advocavi. Et poteram in hac Panegyri etiam breviore laudum compendio defungi: cujus vel major vel nobilior certe portio, merita & indolem AUGUSTI FRIDERICI longe pro-

lixius

lixius experti ſunt, quàm recenſere verbis quiſquam poſſit. Niſi quod in quamcunq; ſolatii partem fuit accerſenda florentisſimorū recordatio temporum, quibus nutantem jam bellicarum calamitatum ruinis Academiæ hujus celebritatem Hercules iſte Muſageta ſuſtentavit. Quò notabilius felicitatis noſtræ decrementum fuit, quando biennale quod apud nos habuit hoſpitium, inſtituta hinc in Galliam profectio, Italico mox continuata itinere abrupit. neque tamen Ipſe inter hæc aliud quàm tenorem vitæ, qualem domi pariter atque hîc egerat, cultisſimæ, pertexuit, conſummavitque. Intelligitiſque adeo, Auditores, non anguſtiorem mihi orationis campum aperiri, quam peregrinatione Princeps Noſter eſt emenſus; ſi ex Sapientum potius commentariis, vel ex quorumcunque deniq; teſtimoniis, quam ex oculata fide Illum deſcribere inſtituiſſem. id in vniverſum concinentia Nationum, quas adiit, præconia nec ignorare quenquam, nec nos adeò celare patiuntur; Illum, cum in vſus Patriæ ſedulo conquireret, quicquid egregium vſpiam eſſet,

plura tamen apud exteros fecisse imitanda, quam vidit: neq; admirationis majora repe-risse argumenta, quam reliquit. Præclaram certe sui memoriam, desideriumque latissime per humaniores gentes diffudit: cum Ipsius vota vnicus erga Germaniam affectus occu-paret. Jamque in illius interius obsequium absens à Gloriosissimo Imperatore LEO-POLDO I. pedestris Legionis Tribunatu auctoratus; vt se coràm tanti Principis judi-cio, & Majorum suorum imaginibus dignum probaret, citius quàm destinaverat redux, ferales ad Philippopolim campos, primam, & sic Deus voluit, vltimam virtutis exhibendæ palæstram elegit. Animum militaris avitæ-que gloriæ cupiditate incensum erexerat ipsa suscepti operis magnitudo: vt coituris velut ad decretorium quoddam, si non salutis, at existimationis profecto certamen, Germaniæ Galliæque fatis interveniret, ac vtrique Popu-lo natales suos & robur approbaret. Etenim quanto acrioribus vtrinque animis, consiliis, casibus, res administrabatur, tanto celerius hausit artem belli & vsum. jamq; inter prima

tyro-

tyrocinia veteranis & militibus & Ducibus æmulus, manu, consilio, vigilantia, iis denique virtutum documentis conspicuum se reddiderat, quas sapiens hostis non contemneret, sed pavesceret audax, generosus admiraretur. quippe in armis assiduus, in opere frequens, in certamine strenuus, notabilibus plane detrimentis Obsessos induxit, vt Illum gentili LEONIS elogio noscitarent compellarentque. Nec aliud, quam spatium exemplorum deerat, quominus summi Ducis, cujus virtutes & merita jam obtinebat, famam & titulos nancisceretur. verùm sublime ingenium pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius quàm cautius appetebat. Subit etiamnum, dum hæc loquor, illius imago temporis, quo, in ipso castrensi opere, miscentem gregario sanguini sudorem pulveremque Principalem, lethali prostratum vulnere, mox recreatum viribus, inde valetudine afflictum, magnâ famæ, majore animorum fluctuatione accipiebamus. prout lætius aliquid tristiusve de illius sanitate aut vita nuntiabatur, juxta cum incertissimis rumoribus spes

d. x. Augusti 1676.

bus ſpes noſtræ metuſque, dolor ac gratulatio jactabatur. cum nihil non crederet, nihil non timeret tam concitatus & flagrans amor. poſtquam bona fide conſtitit vim morbi fatique ſuperaviſſe; vt vero tum nemo qui vel virtutem viventis noverat, vel ardorem pugnantis audiebat, hunc exitum eſt miratus. Et apparet equidem ad multos pertinere atrocitatem vulneris, quod ferali penitus ictu proſtravit, quicquid in tantis dotibus, conſpirantia diverſis paſſim affectibus, ſed expectatione vbique maximâ, Germaniæ vota & ſpes fundaverant, heu nimium fallaces! cæterum de Ipſo Heroe noſtro ne vel tum minus fortiter ſentiremus, vel etiamnum loquamur mollius, abunde ſatiſque debet in tam animoſæ mortis exemplo, vel cautionis vel roboris reputari. Ac mihi certe ſæpius apud animum meum agitanti, grandes illas animas, quibus vita omnis in armis, virtus in periculis, votum in victoria conſumitur, quæ vis, quod robur ſuſtentet, vt inter mille mortes, nulla mortis formidine percellantur; conſtabat non irâ in hoſtes aut

die XXII. Menſ. ejuſd.

odiis

odiis, tantam vel ſecuritatem tot diſcriminibus, vel tranquillitatem adeo gravibus turbis interponi: ſed quod excelſa mens & ſpiritus fati magnitudine ſupra terrenos affectus collocatus, pericula vndiquaque circumfuſa non aliter quàm Sol nebulas & deſpicit ex alto & diſcutit. harum erit judicio permittendum, vtrum mortem Principis Noſtri, quam Ille neutiquam exhorruit, commiſeratione; an mortis genus, quod Ille, ſi fati arbitrium habuiſſet, electurus vnice fuiſſet, gratulatione cenſeant nobis proſequendum. Equidem Germanici Exercitus, quàm memorabili eventu, fortisſimo Commilitoni parentaverint, referre, tanto minus neceſſarium eſt, quanto præſentius recentisſimæ omnium memoriæ inhæret: ejus tamen fulgore adverſus affectuum teneritudinem ex propinguo roborati, conſolatrices etiam manus porrigere ad AUGUSTOS PENATES audemus. Etenim ne cum abſentibus videar loqui, Tuus præſertim Perilluſtris ac Generoſisſime Domine, L. Baro à STAIN, conſpectus & præſen-

tia præſtat: Qui vti viventi quondam apud nos AUGUSTO FRIDERICO paternam exhibuiſti curam atq; ſollicitudinem, ita nunc, Eodem defuncto, paternam huic Auditorio mœſtitiam & luctum repræſentas. Non ego tamen Avitis Laribus implicatam æternæ laureæ feralem cupreſſum avellam: nec ſi qua calidiores, in AGNATA DOMO cœleſtium gratiarum radii accenderunt, affectus impugnabo. Ne ad Rhetorum quidem provocare ſcholas, quanquam in hoc argumento nihil minus quàm imbelles, animus eſt; vt æternitatem vitæ inter arma, inter victorias, pro Patria denique profuſæ & beatitudinem, vel ſplendore ac pompâ triumphorum, vel immortali ſæculorum ac gentium veneratione, famæque perpetuitate commendent. quæ vtcunque glorioſa Principi Noſtro; nobis certe, quicquid diſſimulemus funeſta ſunt. Sanctior longe atque ſublimior, imo & lætior diſciplina eſt, ad quam Ipſe nos, non virtutis contemplatione dicam, ſed toto corporis adſpectu invitat.

Quo

Quo minus verear Vos inprimis SERENISSIMI PARENTES, interpellare, vt ex iterato Cœlitis Veſtri complexu, quo irritari aliâs dolorem non ignoro, novâ quadam interpretandi generoſitate, nobiſcum ſolatia petatis. Neque triumphalem vulneribus cruorem abſtergam. Non velabo impalleſcentem amori Patriæ vultum. Pateat, quicquid nos amisſione Divini Herois miſeros fecit; ne, quod Illum disſimilitudine noſtri reddit felicem, deliteſcat. Quid hic labiorum pallor? pignus eſt, quo Illi

pacta

pacta extremis colloquiis cœli gaudia Deus obsignavit. Quid hic vulneris hiatus? ostium est, quo ad æternam victoriam domitor fati & hostium evolavit spiritus. Quid hic languor lacertorum? vinculum est, quod occurrentem Beatæ animæ ad suavissimos & perennaturos complexus Servatorem suum copulavit. Et poteritisne ullatenus inter hæc ambigere, quin dolores, quos perpessus est, cumulatissima felicitas; triumphos, quibus ereptus est, luculentissima gloria; vitam, qua privatus est, finitura nunquam

æternitas abunde ſit compenſatura. Reliqua doloris lenimenta, quæ præſertim Vobis ſuperſtitum Liberorum virtus ſubminiſtrat, hic attingere propterea mihi religio eſt, quia non ſine maxima ad nos ſollicitudine pertingunt, poſtquam unius Fratris animoſitate ſumus admoniti, quid metuendum pro Reliquis habeamus.

Quæ vero de cætero in univerſum vel deeſſe officio noſtro, vel ſupereſſe videbuntur partes, nil cur ambigamus cauſæ eſt, quin officioſiſſima in Heroum ſuorũ cultum GERMANIA plenius & decentius ſit peractura. Quæ poſtquam fuſum pro ſalute ſua ſanguinem abſterſit: poſtquam accepta pro ſuâ gloriâ vulnera fovit: poſtquam conſecratam ſuæ victo-

riæ animam ab exhalantis labiis in cœlum piis gemitibus ac ſuſpiriis eſt proſecuta: noſtrum hoc, quod extremum inclamamus VALE non dedignabitur ore ſacro excipere, atque in omnes orbis angulos, omnem ſeculorum perpetuitatem ingeminare. Nec nos ſane aliud hucusque quàm ſinceræ & ingenuæ venerationis formulam Illi præcinere paramus. quatenus ex officio id erat nobis adnitendum, ut elogiis, quibus dignisſimos æternitate meritorum tantorum titulos communis Patria temporum conſecrabit memoriæ, peculiariter hujus Academiæ pietas atque veneratio innecteretur. Ipſa vero laudum ornamenta rectius nos omnino facturos arbitramur, ſi victuris annalium monumentis integra & indelibata relinquamus. DIXI.

LESSUS
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
DOMINI
AUGUSTI
FRIDERICI
DUCIS BRUNSVICENSIS
ET LYNÆBURGENSIS

ÆTERNÆ MEMORIÆ
CONSECRATUS
AB
ACADEMIA JULIA
QUÆ EST HELMÆSTADII.

BRUNSVIGÆ
Literis CHRISTOPHORI FRIDERICI ZILLIGERI.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
ANTONIO ULRICO
DUCI BRUNSVICENSI
ET LYNÆBURGENSI
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

LUGUBRE HOC CARMEN
SERENISSIMI FILII
GLORIÆ

NUNQUAM MORITURÆ
CONSECRATUM
OFFICII SUI MEMOR
MOERENS TAMEN
ET INVITA
HUMILLIME OFFERT
ACADEMIA JULIA.



JULIA, dum centum exactos sibi supputat annos,
Et sua sacra, novique agitans exordia secli,
Propitium, mitemque Deum, Gvelphosq; favores
Prædicat, & porrò ventura in secula Numen,
Et clemens sibi poscit ebur. Proh! tristis acerbi
Nuntius auditur fati. Rumore popelli
Ille quidem dubius primò, sed certior inde,
Insolito nostras turbavit vulnere Musas.
Non querimur vicinum hostem, flammataque tecta,
Vastatosque lares miserorum: hæc mascula virtus
Gvelphorum Veserâ, & patrio defendit ab Albi,
Fortuna famulante illis, & Numine dextro.
Non querimur pestem longè lateque vagari,
Per rura & populos, miserandamque edere stragem.

Non cœlum premit,aut nobis ſua munera tellus
Denegat,aut lolium,& ſteriles dominantur avenæ,
Atque anni ſpes nota perit. Facile iſta fuiſſet
Perferre,atque brevi finem exſpectare malorum.
At nos in lacrymas,nos in ſuſpiria cogit
Mors DUCIS, in quo uno fatali concidit ictu
Spes Patriæ, ſpes Teutoniæ , ſpes maxima Gvel-
phûm.
O funeſta dies, faſtis indigna notari,
Atque indigna aliquâ cenſeri in ſecula famâ!
Quâ tener, & primæ Princeps lanuginis annis,
Lethifero inſultu flammatæ glandis anhelam
Effudit moriens animam, cellumque cruorem,
Pro Patria, ſacræ pro libertatis honore.
Teutonici Heroes,qui,infauſti ad flumina Rheni,
Effuſas coràm pretioſi ſangvinis undas,
Spirantesque aliquid divini corporis artus,
Magnanimumque Ducem , & nulli virtute ſecun-
dum,
Ingentem exigua condi vidiſtis in urna,
Nunc,o! nunc juſta mœrorem accendite bile,
Teutoniæq; decus,veſtrumq;, repoſcite flammis,
Et rapidi in pœnas,&,quâ vocat ira,ſecuti,
Ultores necis aut comites,per Gallica rura
Quæ-

Quærite vindictam ferro. Non fortiter ultus
Flos erit ille Ducum, nisi sangvine Sequana manet.
Nos, genus innocuum, devotaq; pectora Musis,
Armis, Phœbe, tuis prompti, citharaque sonante,
Feralem canimus Lessum. Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Dum lacrymas dedit: has nostro impendemus JULO,
ÆNEÆque pio. Sunt hæc solatia luctus
Exigua ingentis, magno sed debita Patri.
Scilicet, instabant domui fatalia Gvelphæ
Tempora, ut herois se mascula proderet ausis,
Sed cursu in medio virtus deserta periret.
Sic quondam HENRICUS SENIOR, cum fortiter Ordam A. 1514. 23. Junii.
Obsessam quateret, flammis, diroque minatus
Fulmine, jam muris, Amasi indignante, propinqvus,
Per caput auricomum trajectus glande cruentam
Oppetiit mortem non victi pectoris Heros.
JUNIOR HENRICUS tali duo pignora fato A. 1553. 9. Julii.
Perdidit; ah! cecidere simul concordia Fratres
Pectora, Patris amor, CAROLUS VICTORIS adeptus

Nomen, quemque Sui MAGNUM dixere PHILIPPUM,
Una eademque hora, dictu mirabile, fortes
Effudêre animas, magni duo fulmina Martis.
Est locus antiquæ prope fortia mœnia Peinæ,
Prisca SIVERSHUSIUM voluit signare vetustas,
Limitibus certis ubi distingvuntur amœnus
Brunsvicensis ager, glebisque exilior illo,
Lynæburga, tuus, camposque hinc Fusa pererrat.
Hic, quondam ignotus, nostris jam nobile Fastis
Nomen habet, sed clade niger, dum magna Parenti
Damna dedit, fusoque licet sævo hoste, relatæ
Eripuit palmæ pretium per funera prolis.
Ex illo non est hostili cæde peremptus,
Atque acie in media, cognati sangvinis ullus,
Altera jamque suo labuntur secula cursu.
Nos tamen hæc audire & cernere cogimur. O! cur
Nos, DEUS, hæc in tam mala tempora, Juste, reservas?
Quid meriti sumus, aut quo fœdo crimine terras
Has damnas, irate? Ducem, qui floridus annis,
Qui sublimis eqvo, & multum fulgentibus armis,
Pro patria aggreditur bellum: cui noster eunti
Accinuit Phœbus, pro quo tot vota precesque
Unani-

Unanimi atque humiles ad ſacras fecimus aras,
Extinctum miſerè audimus, gelidumque cadaver
Cernimus adduci, patrio condique ſepulcro:
Cernimus, atque oculos tædet feciſſe nocentes.
Scilicet hi reditus, exſpectatique triumphi?
Non hæc ſollicito de Te promiſſa Parenti.
Non hoc magnanimus ſpondebat Patruus omen.
Ah! ſi tanta Tibi famæ, laudisque cupido,
Tu poteras Patriis & Avitis artibus illam
Quærere, & AUGUSTUM nomen quoque pace
tueri.
Sed belli novus urit amor, tenerâque juventâ
Ingentes animo, dignos Duce, concipit æſtus,
Et tacito vivens creſcit ſub pectore flamma.
Non equidem blandas nunc deſerit ille Camænas,
Quas pridem placida conſangvinitate jugavit
Cum Marte: aſt, alios dum poſcit Patria mores,
Arma, arma, exclamat, gladios, ſcloposq;, globosq;,
Lætaturque illis, & jam ſua funera tractat
Nullius præſaga mali, malè provida dextra.
Ægrè illum Genitrix, ægrè Pater, omnia bello
Tuta timens, dimittit, & exhortatur euntem.
Vincit amor patriæ, laudumque immenſa cupido.
Dicite Pierides, duros ut mille labores,

Ante

Ante annos animumque gerens, curamque viri-
lem,
Pertulerit, fidens animi, atq; in utrumque paratus,
Ulcisci Patriam, vel certæ occumbere morti.
Protinus ante omnes campo ſeſe arduus infert
Bellator, non ille dapis, non ille quietis,
Aut ſomni memor: hinc cœli intractabilis iras,
Hinc æſtus, pluviasque, & mille incommoda ridet.
Vix dum ter ſenis ætas effluxerat annis,
Argueret cum magna Ducem prudentia, & inter
Heroes ſplenderet, ut inclyta Luna minores
Ignes inter ovat: teneris jam numen in annis
Noſcere erat, ſtimulosque animo dabat enthea
virtus.
Ah! metus eſt, ne fila hujus tam præcoquis ævi
Sint diuturna minus! Fragrantia poma videmus,
Cum cito miteſcunt, roſeo ſpectanda colore,
Ante diem quod lapſa cadant, ramosque relin-
qvant
Maternos, ſeſeque in humum projecta reſolvant.
Tempus erat, cum Germano depellere regno,
Et Rheni à ripa Gallos arcere feroces
Ardebat CÆSAR, ſed mœnia celſa PHILIPPI
Obſtabant, quæ fama ingens, ingentior armis,
Rex

Rex LUDOVIX (tibi, Rhene, jugum) munimine firmo
Cinxerat. Hîc sibi dulce decus, famamque perennem,
Posthabitâ voluit Princeps acquirere vitâ.
Jamque vigil facta ad fortes custodia muros.
Dux abit: auditur sonitus: nihil Ille nec auræ
Percussæ memor, aut teli venientis, in imo
(Lethifer ille locus) capite accipit inscius ictum, &
Ad terram non sponte ruit, simul omnia circum
Nigrescunt tenebris, &, dum sopor urget ocellos,
Fervidus inflicto manat de vulnere sangvis,
Et niveum tabo collum, nitidosque lacertos
Inficit, haud secus, ac si quis violaverit ostro
Indum ebur, aut rubro candentia lilia succo.
Nunc, ô! nunc liceat calamos armare veneno,
Autoremque necis mordaci pungere versu.
Sed neque nomen erit, nec honos, nec gloria facto.
Ah crudele genus! Quænam manus improba tantum
Ausa patrare nefas? Quinam potuêre nocentes
Hæc spectare oculi? Sed nec pila parsit honori
Pulsa Ducis? Vos, qui confunditis omnia passim,
Immites aliàs, mites pro Principe, Venti,

Aëra nunc vestris agitate impulsibus, ut non
Fervidus ille globus nocituro vulnere lædat.
Quis sclopus, quæ sæva manus, quis vulnera fecit?
Fors media ex acie, & mediis calonibus unus,
Et nulla à vitiis unquam virtute redemtus?
Ceu quondam Æacides, caput insuperabile bello,
A timido occisus Grajæ raptore maritæ.
Ah! æterna premant istoc oblivia nomen.
Nec sese AUGUSTI dein jactet vulnere quisquam.
O! si te Heroi, si te Illi forte tulisses
Obvius, haud ferre hos potuisses luminis ignes,
Stravissetque animam (quamvis res parvula) inertem.
Felix, Turne, olim! felix quoq; cum Patre, Lause!
Vindicis Æneæ vos vivida dextra peremit.
Sic cecidisse juvat! sic quondam Tröicus Hector
Oppetiit mortem, sed magno fusus Achille.
Flammis ipse suis, & tetro sulphure vivus
Ardeat, ingenio qui turpiter usus, in orbem
Induxit sclopos primus, docuitque benignos
Sic flammis sævire homines, plumboque liquato.
Ex illo virtus minor est Heröica, nilquè
Prævalidi membrorum artus, agilesquè lacerti
Pro-

Proficiunt, dum sæpe aliquis de plebe satelles,
Vel timidus calo sibi stratum jactat Achillem.
Ut primum discussæ umbræ, & lux reddita menti,
Et castris vicinæ urbi statuêre cruentum,
Vulneris inquirunt maturo examine sedem,
Nilque intentatum senior, nil linquit inausum,
Cum sociis Phœbo ante alios dilectus Jāpis,
Ut læsas capitis lamnas, & sutile tegmen
Fissum, membranisque oriunda pericula tollat.
O dolor! Ars lassat se operosa, manumq; peritam
Destituit fortuna, acres cum febre dolores
Increscunt, totoque in corpore se exerit ignis.
Et metus est, ne, quæ densata in frigore molli
Obsita membranis jacet humida massa cerebri,
Concipiat parilem, semper qui lethifer, æstum.
O Venus, ô Cypri mitissima diva, Paphique,
Quæ quondam, indigno nati concussa dolore,
Trojano Æneæ dictamnum flore comantem
Creteæ in Medicis carpsisti montibus Idæ:
Huic etiam succurre Duci, cui plurima toto
Corde faves, cunctos inspirans dulcis amores.
Ille tuus, sacrasque tibì devotus ad aras
Te colit, atq; tuo accepit jam munere Nympham,
Saxoniæ decus æternum, quam Pastor Idæus

Aut ſimilem, aut ſolâ te diceret eſſe minorem.
Nunc ô! nunc tempus, ſuccurrere, & illa medentum
Pocula, vulneribus non æqua, implere ſalubris
Ambroſiæ ſuccis, & odorifera Panacea.
Fata inſtant. Dux ipſe ſibi per viſcera mortem
Labi, & vitalem ſentit ſecedere flammam,
Attollensque oculos, mediâ jam morte gravatos:
Parcite, ait, fidi, quondam mea cura, miniſtri.
Tuque prior, tu parce, & faſtidita Machaon
Pocula, & ingratos mihi ceſſa apponere ſuccos.
Vixi, &, quem dederat curſum fortuna, peregi.
Jam moriar. Quos illa mihi mors præripit annos,
Linquere, & heu! caro cupio tranſcribere Patri.
Hoc ſatis. Oppetii pulcram per vulnera mortem.
Hoc melius, quàm ſi macilentum lurida tabes,
Atque ingrata quies lecti, ſine nomine funus,
Abſumpſet, pigrum corpus tardante ſenectâ.
Sat vixi, quamvis juvenilis fervor, & illa,
Quæ venit à magnis mihi propria gloria Gvelphis,
Majoris pugnæ, & famæ inflammaret amore.
Credo equidem, nec erit tam magni CÆSARIS armis
Mors mea inulta diu. Tu certè, excelſa PHILIPPI
Arx,

Arx, quondam nostris malè designata triumphis,
Inferias mihi prima dabis. Jam cerno propinqvum,
Cerno diem, quo victa cades, Aquilæq; supremum
Amplecti imperium, Germanaq; Numina disces.
Me si fata citâ, nec opinâ morte perire
Ante diem voluêre, tamen, tot millibus inde
Gallorum occisis, parto super hoste triumpho,
Ante Urbem, mox vincendam, cecidisse juvabit.
Exoriare aliquis Germani sangvinis Heros,
Aut, si fors velit, antiquo de stemmate Gvelphûm,
Qui priscum decus, & laudes imitatus Avorum,
Teutoniæ medeare malis, Gallumque ferocem
Compescas victrice manu, data fata secutus,
Secula ut Herminio jungant te nostra Cherusco,
Qui fastus Italos, & iniqui crimina Vari
Indignans, avidis svasit popularibus arma,
Securumque odii, & prorsus nil tale timentem,
Obruit, & multis confecit cladibus hostem.
Me cœlum, celsique vocant sublimia Regis
Castra, ubi perpetuæ dignabor pacis honore,
Et miseram terræ faciem, indignosque tumultus
Ridebo, & pugnas, & inania nomina famæ.
Jamque vale, ô oculis, Genitor, mihi carior istis.
Per Te ego, perq; istam, quam nunc ego desero, lucem,

Quam

Quam Tibi post Numen lætus debere fatebor:
Per patriam, quæ multa Tibi, dulcissime, debet,
Obsecro, ne fato Nati tristeris acerbo.
Tuque vale, dilecta Parens, cui tempore nullo,
Nunc pario invitus, funesta morte, dolorem.
Ut Tibi ab Oenotriis aderam gratissimus oris,
Sic spes forte mei reditus jam pectore sedit.
At frustra: quoniam Superis aversa voluntas.
Non Tua me, tam cara olim, non svavia, Mater,
Delectant: cœlum, cœlique palatia specto,
Divini jaculis non mollibus ictus amoris.
Ut juvenis, pulcræ captus dulcedine nymphæ,
Cui thalamum mater læta instruit: ille cubili
Prodit ovans, cupidusque novæ sua gaudia noctis
Præcipit, &, quod amat, toto jam pectore anhelat.
Sic mihi, divinas Agni dum cernere tædas
Contigit, unigenam ardenti jam pectore Christum
Præcipio, hujus amor tenerum ingerit ossibus ignem.
Jam terris meliora vocant me templa relictis,
Certa ubi pax; ubi plena quies, ubi veri Hymenæi.
Plura locuturo labuntur frigida letho
Lumina, & obtusæ nil noscunt amplius aures,
Si non cum dulcis recitantur nomina Christi.
Illum unum, illum unum media de nocte reversa
Mens

Mens auditque, videtque, nec arida sole supremo
Lumina, sed solo cupiunt se pascere Christo.
Occidit! At cunctis tantæ pietatis imago
Excussit lacrymas oculis. Exercitus omnis,
In lacrymas haud pronus, & atro sangvine fuso
Duratus, guttis humectat grandibus ora.
Sunt divisæ illis patriæ, sunt Solis alumni
Diversi, tamen in luctu hoc sua dissona jungunt
Murmura, lugubres pariter repetentia voces.
Conscius Heroæ laudis, testisque futurus,
Rhenus, ut & Rheni moriturus Mœnus in undis,
Et quæcunq; habitant hæc vivida flumina Nymphæ,
Sacratusque Nicer Phœbo, (neque enim excidet unquam,
Quod Martem, Musasq; pari Dux fovit amore)
Omnes luctifici dant argumenta doloris.
Abde, Visurgi, caput, tantos audire dolores
Indocilis, refluas tumefacti gurgitis undas
Redde salo, pater Albi: suoque in flumine sese
Sistat Ocer: nec tu frondes aut gramina profer
Elme ferax, tibi ademptus honos, tibi gloria rapta.
Ille quidem, magnorum haud unquam indignus avorum,
Dux, erit æternus, vivusque per ora feretur:

Illum

Illum ſecla canent, Heroumque inclyta nutrix
Hiſtorie indigenis narrabit ſedula faſtis,
Ut nati natorum, & qui naſcentur ab illis
Virtutem laudesque legant, & nomina magna.
Illa tamen, quarto nondum contermina luſtro,
Vita nimis brevis eſt, & ſpes præſcinditur orbi.
Dumque ſuos inter Heroas Gvelphica tellus
Incepit numerare Ducem, ſtatuasque paravit,
Invida venturis ſubducit Morta triumphis.
Quantum erat, ut ſineret tam pulcrum creſcere germen
In priſcam virtutem & nomina magna Parentum,
HENRICUMque LEONEM, & Cæſareos OTTONES?
Hoc tamen eſt fatum meliorum, ut tempore parvo
Se jactare queant. Pereunt modo nata, diuquè
Nec tulipæ molles, nec candida lilia florent,
Virgineusque roſæ primo rubor interit Auſtro.
At lappæ, tribulique, & læto carduus agro
Inviſus, Boreamque & Brumæ frigora temnunt.
Nos tamen ah! vitamq; brevem: nos funus acerbū,
Excelſumque animum memori cantabimus ore:
Nos faciem pulcram, triſti mera gaudia bello
Miſcentem, atq; gravi moderantem dulce ſevero:
Nos

Nos mites oculos, & dîum lumen in illis:
Nos corpus: sed nostrum ad se rapit enthea Phœbū
Semper magna petens, & nil mortale agitans mens.
Deficimus. Non tanta rudi fiducia Phœbo est,
Ut famamq; Tuam, &, quæ post sua funera victrix
Surgit, virtutem calamo, Dux, pingere possit.
Fors tamen hoc erit, ut nostrum tam flebile Divis
Manibus officium placeat, sacrique labores
Elysias penetrent valles, & amœna vireta.
Interea, æternâ dum pace, piissime Princeps,
Dum verâ in patriâ, plenâ gaudesque quiete,
Nos hujus desiderium quoque tangit, & orbem
Dum calcamus adhuc, terrenæ pacis amore
Pectora flammati, bellum damnamus, & ultra
Littora Juvernæ, & vada caligantia Thules,
Mittimus, in nullis inventas gentibus oras.
Summe DEUS, qui Pacem inter tua munera censes,
Respice Teutoniam, diris proh! undique bellis
Attritam, & miserum Rhenum, & vaga funera terræ
Alsatæ, & multâ maculatos cæde penates,
Direptosque lares. Si Thrace barbara nobis
Limitibus conjuncta foret, non tristior usquam
Ex-

Excidii facies eſſet: præſentia fletum
Excutiunt oculis, pariunt ventura timorem.
Haud alium noſtris ſeſe majoribus olim
Præbuit, infamis terrarum prædo, Deûmque
Attila contemptor, multas impune vagatus
Agmine Barbarico per terras. Publica geſtæ
Fama rei ſupereſt, nec adhuc Germania præſens
Omnibus inviſos oblita eſt gentibus Hunnos.
Reſpice nos, Cœli Rector, utque aurea tandem
Pax redeat, noſtrosque Duces, & Cæſaris arma,
Atque omnes, junctis qui ſtant à partibus, auge.
Da, noſtris iterum aſſveſcat victoria dextris,
Diſtractique Duces animis feralis amorem
Abjiciant belli, & ſeſe te præſide tandem
(Nam ſolus lenire potes, & flectere Reges)
BORBONII, AUSTRIACIq; æterno fœdere jungant,
Fœdere, quod veteris ſibi conſcius horreat iræ
Euphrates, trepidusque abſtruſa in origine Nilus.